



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Mittitur à Po[n]tifice ad Episcopos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

sum opportunas ipse comparauit. Ipse, dum Synodus haberetur, (habita est mense Maio) sic adnifuse est publicè, priuatimq; dicendo, colloquendo, agendo, vt & Synodus Tridentina recepta sit, & complura rectè sancita: successumque, secundum Deum, ei potissimum, tum P. Alfonso Pisano Cardinalis meritò adscripserit.

Vix expedito synodi curis, peregrinandum rursus Herbipolim, & Argentoratū fuit, receptis ab Vrbe mandatis summi Pontificis, vt earum Ciuitatum Antistites (cuius consilij autorem ipsum fuisse Canisium supra demonstratum est) admoneret, cohortareturque, vt mature prospicerent viam Catholici suffiendi pastoris, ne post eorum excessum illa Christi Ouilia luporum in fauces venirent. Corripit ergo confestim iter, madataque executus prosperè satis Herbipoli, cum Rhenano Prouinciali, quem eo forte loco reperit, Francofordia, vbi sacerdotes duo de Societate, Moguntia, Spiraq; vbi iam Collegia erant, transiens, ac socios vbiq; consolans, Argentoratū peruenit. Episcopū, veterem amicum apud Tabernas Alsatias conuenit, longo iam æuo, & mala valetudine oppido fractum. Audiuit perbe-

*Mittitur à Pā-
tifico ad Epis-
copos.*

ne uole mandata: sed homo & cuncta bundus natura, & corporis languore iam obtundente animi effectus spem magis nō ademit, quam dedit. Adiecit Canisius in alia quoq; re salutare monitum. Namque aliquot iam annis cum senatus Argētoratensis functionem Catholici cultus interdixisset, Clerus, Canoniciq; nusquam diuina in communi celebrantes, raro priuatim, fusi, vagiq; nihilominus uetigalibus sacris saginabantur. Monuit igitur, ut occurreret ei malo, ut certum destinaret obeundis diuinis locum, nec sine- ret sanctissimas cæremonias aboleri. Obseruauit interea Cœnobiorum solitudinem miserādam: apostatarum greges, sacratasq; Deo facultates vel raptoribus Hæreticis prædæ esse, vel in omnem profundi turpitudinem. Cui pesti opinabatur aliquid posse leuationis fieri, si Præpositi Religio- forum Ordinum generales, suorum quisq; Cœ- nobia per se se, vel per idoneos Vicarios studiose inspicerent: idq; Consilij Romam perscripsit, & salutare fuit. Reuersus in Prouinciam dū in Col- legiis ipse recognoscendis suis, & componendis elaborat, adfuit Dilingæ adolescens Polonus ab Vrbe Vienna profugus, obsecrans, & obtestans, ut se

*B. Stanislaus
excipit, & Ro-
mam mittit.*